

» tem; et quemadmodum uxori indixerunt ut in
» perpetua maneret pœnitentia, nec etiam post
» mariti obitum alteri cuicumque jungeretur, ita
» e converso marito hoc onus minime imposuerunt,
» licet maritus ipse adulterum se defendendo in-
» terfecerit, qui propterea non perpetuæ pœniten-
» tiæ adducendus judicatur, sed ipsi novum post
» mortem prioris cum alia conjugium celebrare
» permittitur.» (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*,
part. I, sect. 733.)

Item cap. 1, *Mulieres*, Tit. XX, sic se habet:
» *Mulieres*, cum pro aliqua licita causa a propriis
» viris fuerint separatæ, totam dotem præcipimus
» sibi reddi.» « Hic tirones in studio juris pontificii
» monitos velim, inquit Giraldus, ibid. sect. 737,
» ne si forte legerent hunc integrum textum *Mu-*
» *lieres* apud Gonzalez, in quo, post verba *sibi reddi*,
» leguntur et hæc alia (consulto ommissa a S. Ray-
» mundo): « Et post expletum annum accipiant
» alios viros, si voluerint, similiter et vir uxorem, »
» decipiantur putantes matrimonium dissolvi posse,
» etiam quod vinculum, ob quamcumque licitam
» causam divortii, cum juxta catholicam doctrinam
» antecedenti sectione traditam, intelligenda sint
» dissolvi duntaxat quoad vinculum quando decla-
» ratum fuerit invalidum iusse ab initio. Quod au-
» tem in dictis posterioribus verbis permittat textus
» transitum ad secunda vota post annum, relationem
» habet ad dispositionem legis Cæsareæ relatæ in L.
» *Si constante*, C. *De repud.* id prohibentis ob incer-
» titudinem prolis, quæ cæteroquin ratio, licet non
» procedat in viro, mirum est quod Patres concilii
» hic æquales fecerint conjuges in contrahendo se-
» cundo matrimonio. »

ADNOTATIO XCVII.

Lib. IV. Decretal. Tit. XXI, De secundis nuptiis,
§ 1, n. 21; pag. 536.

NEMO PERMITTATUR MATRIMONIUM CONTRAHERE NISI
IN CURIA ECCLESIASTICA PROBATUS SIT STATUS LIBER
CONTRAHENTIUM.

« Cum discrepent doctores in statuendo qualis
esse debeat certitudo de morte prioris conjugis,
antequam alter superstes transeat ad secunda vota,
relictis privatis eorumdem doctorum opinionibus,
crederem, inquit Giraldus, ibid. sect. 656, habendam
esse pro certa regulâ praxim tribunalis S. In-
quisitionis, a quo hujusmodi transitus nunquam
permittitur nisi constet de morte conjugis vel per
authenticum testimonium seu fidem, puta præfecti
nosocomii, aut alterius loci, in quo forte decesse-
rit, sive rectoris ecclesiæ in qua sepultus fuerit;
sive etiam per juratum testimonium duorum tes-
tium, deponentium de visu obitus, aut etiam unius
tantum, omni tamen exceptione majoris. »

Huc spectat instructio S. Congr. universalis In-
quisitionis sub die 21 aug. 1670, a Clemente X

confirmata const. *Cum alias*, pro examine illorum
testium qui inducuntur pro contrahendis matri-
moniiis tam in curia Eminentiss. cardinalis Urbis
vicarii, quam in aliis curiis cæterorum ordinario-
rum. Hanc instructionem studiosi perlegent sive
apud Giraldum loco citato, sive in Bullario magno.
Hic tantum inseremus duo documenta sequentia,
ex eodem Giraldo desumpta:

« I. Questa sagra Congr. del Sant' Offizio con-
» siderando che spesso quei che vogliono contrarre
» matrimonio fuori della loro patria, essendo po-
» veri, per la distanza della curia del vescovo, se-
» non con grave spesa ed incomodo di mandarvi
» i testimonj ad esaminarsi; perciò scrive circo-
» lamente a tutti gli ordinari d'Italia, conceden-
» dogli facultà di suddelegare i loro vicarij foranei
» a ricevere la deposizione de' testimonj sopra lo-
» stato libero delle persone di quel vicariato, pur-
» chè osservino l'istruzione del Sant' Offizio, con-
» fermata da Clemente X nella sua costituzione
» *Cum alias*, prop. XIII. Quali vicarij foranei do-
» vranno mandare l'attestazione dell' esame a' pro-
» prj ordinari, e questi conceder gratis a chi vuol
» far matrimonio la fede autentica del suo stato
» sizione de' testimonj fatta avanti il tal vicario
» deputato. In questo modo V. E. si degnarà con-
» tenersi. E le bacio umilmente le mani. Di V. E.
» umilissimo e devotissimo servitore Alb. card. Cibo.
» Roma 31 ott. 1699, »

« II. Al signore vicario di Napoli. — Consultano
» cotesti giudici deputati dal sign. card. Arcives-
» covo sopra i matrimonj se le diligenze prescritte
» da questa S. Congr. che si devono fare prima di
» dar licenza di contrar matrimonj, si abbiano da
» usare con coloro che, posti nell' articolo della
» morte, bramano contrar matrimonio per liberarsi
» dal peccato, e per altro accidente simigliante.
» E questi miei signori rispondono che in tal caso
» non sono necessarie, quando però non vi sia
» tempo di poterle fare; ma vogliono che risanato
» l'infermo, non possa venire alla copula ed alla
» coabitazione, se non saranno fatte ed eseguite le
» medesime diligenze. Potrâ V. S. dar notizia del
» senso della S. Congr. ai medesimi Giudici. Ed
» il Signore la conservi sempre. Come fratello, il
» card. BARBERINO. Da Roma li 10 luglio 1630. »

ADNOTATIO XCVIII.

Lib. IV. Decretal. Tit. XXI, § II, n. 34;
pag. 538.

REGULARITER SECUNDÆ NUPTIÆ NON SUNT BENE-
DICENDÆ.

« Duo in decretali *Capellanum*, hoc tit. statuun-
tur: I. Quod si capellanus (id est parochus) bene-
dixerit secundo nubentibus, suspensionem ab officio
et beneficio incurrat. II. Quod pro obtinenda ab-

» solutione ab hujusmodi suspensione, postquam
» promulgata fuerit ab ordinario, mittendus sit ad
» Sedem apostolicam.

» Sed juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam ex
» communi doctorum sententia, quos refert Thesaur-
» us, *De pœnis ecclesiast.* cap. II, vº *Matrimonium*,
» est in arbitrio episcopi eum punire vel suspensionis
» pœna, vel alia; per consequens sublata est pariter
» missio ad Sedem apostolicam, cum absolutio non
» sit amplius Papæ reservata: idque nedum ex re-
» cepta praxi, sed etiam ex extravag. Joannis XXIII
» quæ licet in nulla decretalium collectione repe-
» riatur, refertur tamen a Covarruvia, part. II, cap.
» VIII, § II, n. 2, quem sequuntur canonistæ omnes.

» Hujusmodi benedictio prohibetur etiam ab
» Urbano III, nulla tamen adjecta pœna, ut ex ejus
» decretali relatæ in cap. 3, hoc eod. titulo. Quæ de-
» cretalis, utpote posterior illa Alexandri, nudam
» tantum prohibitionem præ se ferens, causam for-
» tasse dedit ut pœna in contrafacientem infligenda
» remitteretur arbitrio episcopi.

» Quamvis autem, de rigore utriusque decretalis,
» inspecto generali loquendi modo, hæc benedictio
» interdicta intelligatur, tam si uterque quam si alter
» ex conjugibus, sive femina, sive vir, ad secundas
» nuptias transeat; hodie tamen ex generali consue-
» tudine, fere ubique recepta, dari potest si unus
» tantum dicitur primo nubens. Quæ quidem praxis
» conformis est Rituali Romano jussu Pauli V edito,
» verum cum limitatione, ibi: « Caveat etiam paro-
» chus ne, quando conjuges in primis nuptiis be-
» nedictionem acceperint, et in secundis benedi-
» cat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas
» nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo ut
» si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir
» aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea
» servanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat,
» etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit. »
(Rubricæ de Sacram. matrimonii.)

ADNOTATIO XCIX.

Lib. IV. Decretal. Tit. XXI, § II, n. 49;
pag. 541.

DE PœNIS CONTRA VIDUAS INTRA LUCTUS ANNUM
NUBENTES.

« In utraque decretali scilicet cap. 4, *Super*
» *illa*, et cap. 5, *Cum secunam*, h. t. declaratur
» mulierem secundo nubentem intra annum luctus
» non mereri infamiæ notam a civilibus legibus in-
» flictam, L. scilicet I et II, § 1, ff. *De his qui no-*
» *tantur infamia*, et L. I et II, C. *De sec. nupt.* tam
» in ipsam, quam in maritum qui eam ducebat,
» atque etiam in patrem mariti, cum posset filium
» prohibere.

» An autem una cum infamia hodie sublata sit
» etiam aliæ pœnæ, ab iisdem legibus contra viduas
» intra dictum annum nubentes decretæ, affirmati-

» vam sententiam amplectitur Van-Espen, part. II,
» tit. XV, cap. III, n. 12, ibi: « Nec tantum pœna
» infamiæ sed eadem ratione aliæ pœnæ contra
» viduas intra annum luctus nubentes legibus ci-
» vilibus decretæ, hodie omnino sunt sublata; et
» ita judicatum refert Antonius Faber ad Codicem,
» lib. V, tit. V, definit. I et ibid. nota V, *Infertur.*
» Itaque non est deterior conditio viduæ inter
» annum quam post annum nubentis. Id ipsum
» notavit Gudelinus, lib. I, *De jure noviss.* cap. XII,
» ubi etiam ex Julio Claro monet quod, si mulier
» non quidem intra annum luctus nubat, sed luxu-
» riose vivat, et ex stupro pariat, eam hanc infa-
» miam et alias pœnas a legibus decretas non eva-
» dere. Insuper si quæ pœnæ in odium secundarum
» nuptiarum per leges decretæ fuerunt, hodie su-
» blatae sunt; at ea quæ tam in pœnam iterantium
» nuptias in favorem liberorum primi matrimonii,
» aliave consideratione statuta sunt, etiamnum in
» usu sunt, ut observat Gudelinus, loco cit. et
» Zypæus in *Notitia jur. belgici*, Tit. de secund.
» nupt. non enim, ait, mens D. Pauli fuit aliquid
» corrumpere ex publicis legibus, jura parentum
» et liberorum juste moderantibus. »

» Cæterum a muliere ita festinanter secundo
» nubente non contemnenda est præcipua ratio ob
» quam citata lex II eidem prohibuit transitum ad
» secunda vota, ut scilicet evitaretur sanguinis tur-
» batio, et ne consequenter incertum fieret quis natæ
» prolis pater esset, an primus, an secundus mari-
» tus. Nec itidem contemnenda hæc altera quod, si
» mox a morte mariti alteri nuberet, non levem
» suspicionem ingereret perpetrati adulterii, viro
» adhuc vivente, vel saltem jam pridem cogitasse de
» secundis nuptiis cum eo cui nubere festinat.

» Sublatae etiam sunt pœnitentiæ quæ imponi
» solebant bigamis seu nuptias iterantibus, ut ex
» can. 3 synodi Neocæsariensis, relato a Gratiano,
» can. 8, *De his*, caus. XXXI, quest. 1; de quibus
» meminit etiam Baronius ad annum 314, n. 91:
» « Non quod secundum matrimonium contrahendo
» peccent, inquit, sed quod suam ipsius inconti-
» nentiam manifestent, et bigamiam, quæ in hu-
» manæ imbecillitatis remedium instituta est,
» libentius usurpent. » (Giraldus, *Exposit. jur.*
» *pontif.* part. I, sect. 741.)

ADNOTATIO C.

Lib. IV. Decretal. Append. § I, n. 22; pag. 549.

FACULTATES EPISCOPIS HODIE CONCESSÆ AB APOS-
TOLICA SEDE.

Sacra Pœnitentaria hodie consuevit dare cuilibet
episcopo electo varias facultates quarum aliæ ad
triennium conceduntur, aliæ vero ad annum tan-
tum; facultatum deinde prorogationem tempore
debito quivis episcopus efflagitare debet. Inscro-

mus hic formulas usitatas, ex archivio episcopatus Aurelianensis desumptas.

Facultates ad triennium concessæ — N. N. SS. DD. Papæ et Sedis apostolicæ major Pœnitentiarius, vobis venerabil in Christo Patri N. episcopo N. infrascriptas communicamus facultates quibus, pro foro conscientiæ, per vos sive per vestrum vicarium in spiritualibus generalem, dummodo in sacro presbyteratus ordine sit constitutus, etiam extra sacramentalem confessionem pro grege vobis commisso, et intra fines vestræ diœcesis tantum, atque de speciali, in unoquoque casu exprimenda, Sedis apostolicæ auctoritate vobis delegata uti valeatis; easque canonico pœnitentiario, necnon vicariis foraneis, pro foro pariter conscientiæ, sed in actu sacramentalis confessionis duntaxat, etiam habitua-liter, si vobis placuerit; aliis vero confessariis cum ad vos, sive ad prædictum vicarium generalem, in casibus particularibus pœnitentium recursum habuerint pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiare causas aliquibus confessariis a vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio vestro statuendum, illas communicare iudicaveritis.

I. Absolvendi ab excommunicatione ob manus violentas injectas in clericos, aut presbyteros, sive seculares, sive regulares, in casibus tamen non deductis, nec de facili ad forum externum deducendis; dummodo non sit sequuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio; et injuncta congrua pœnitentia salutari, cum obligatione caute, et competenter satisfaciendi parti læsæ.

II. Absolvendi a censuris contra duellantes inflictis, dummodo casus ad forum externum non fuerint deducti; injuncta gravi pœnitentia salutari, et aliis injunctis, quæ fuerint de jure injungenda.

III. Absolvendi quoscumque pœnitentes sive viros, sive mulieres (exceptis hæreticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis ob hæreses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externatas, ob infidelitatem, et catholicæ fidei abjurationem private admissas, sortilegia, ac maleficia etiam cum sociis patrata, necnon ob dæmonis invocationem cum pacto donandi animam, eique præstitam idololatriam, ac superstitiones exercitas, ac demum ob quæcumque insinuata falsa dogmata, incursis, postquam tamen pœnitens complices, ei quo in præmissis habeat, prout de jure, denunciaverit; et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a pœnitente seria promissione denuntiationem peragendi; cum primum, et meliori modo, quo iudicio tuo fieri poterit; et postquam in singulis casibus hæreses coram absolvente secrete abjuraverit; et pactum cum maledicto dæmone initum expresse revocaverit; tradita eidem absolventi syngrapha forsitan exarata, aliisque mediis superstitionis, ad omnia comburenda; injuncta pro modo excessuum gravi pœnitentia salutari cum frequentia sacramentorum, et obligatione se prudenti iudicio tuo

retractandi apud personas, coram quibus hæreses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a censuris incursis ob violationem clausuræ regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo casus non fuerint ad forum externum deducti, cum congrua pœnitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et pœnis ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem clausuræ virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occultis remaneant; injuncta gravi pœnitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad ecclesiam, et conventum, seu cœnobium ditorum religiosorum, durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a censuris ob retentionem, et lectionem librorum prohibitorum incursis, postquam tamen pœnitens libros prohibitos, quos in sua potestate retineat, prout de jure, consignaverit, seu consignare fecerit; injuncta congrua pœnitentia salutari.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicæ reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus; injuncta pœnitentia, et, quando agitur de muneribus infra valorem decem scutorum, aliqua elemosyna absolventis iudicio taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de bonis propriis religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de præsentibus adimplere nequeat, præstita in manibus absolventis obligatione restituendi intra terminum ejus arbitrio præfiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi religiosos cujuscumque ordinis (etiam moniales per confessarios tamen pro ipsis a vobis approbatos vel specialiter deputandos) non solum a præmissis, sed etiam a casibus, et censuris in sua religione reservatis.

VIII. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit: monendo hujusmodi pœnitentem, ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum usum matrimonii, quam si marito, seu uxori respective supervixerit.

IX. Dispensandi cum incestuoso, sive incestuosa, ad petendum debitum conjugale, cuius jus amittit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguinea, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suæ uxoris, seu respective mariti: remota occasione peccandi: et injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

X. Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi, et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis, provenientis ex illicita copula, quando agatur de matrimonio cum dicto impedi-

mento jam contracto: ita tamen, ut, si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatæ, nativitas desponsatæ copulam ipsam antecedit: monito pœnitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam detegatur; remota occasione peccandi, atque injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

Item dispensandi super dicto occulto impedimento seu impedimenti affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias; nec matrimonium absque periculo gravis scandali differri possit usquedum ab apostolica Sede obtineri possit dispensatio; remota semper occasione peccandi et firma manente conditione quod copula habita cum matre mulieris hujus nativitatem non antecedit; injuncta in quolibet casu pœnitentia salutari.

XI. Dispensandi super impedimento occulto criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto: monitis putatis conjugibus de necessaria secreta renovatione consensus; ac injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

XII. Dispensandi denique super impedimento tertii, seu tertii et quarti, vel quarti simplicis gradus, sive graduum consanguinitatis et affinitatis, super quo seu quibus obtenta fuerit dispensatio a Dataria apostolica, et in litteris hujusmodi dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quæ tamen occulta remaneat. Ac etiam dispensandi seu revalidandi litteras apostolicas ejusmodi irritas ac nullas redditas ex incestu, sive post petitam dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato, ac iterato usque ad eandem executionem, in casibus semper occultis, sive agatur de matrimonio contrahendo sive jam contracto: monitis in matrimonio contracto putatis conjugibus de necessaria mutui consensus secreta renovatione; injuncta in singulis casibus congrua pœnitentia salutari.

XIII. Præterea absolvendi a censuris, et pœnis ecclesiasticis eos, qui veltis, massonicis, aut carbonariis sectis, aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem præstiterunt, postquam tamen a respectiva secta omnino se separaverint, eamque abjurerint, libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si que retineant, in manibus absolventis consignaverint ad ordinarium quamprimum caute transmittenda, verèque pœnitentiæ signa exhibuerint. Firma obligatione denunciandi sectæ socios, ac magistros, prout de jure, et quoad carbonarios eos omnes, de quibus in § *Præcipimus* Bulle *Ecclesiam a Jesu Christo* a fel. rec. Pii VII editæ, et a Papa Leone XII confirmatæ. Injuncta pro modo culpæ gravi pœnitentia salutari, cum frequen-

tia sacramentali confessionis; aliisque injunctis de jure injungendis.

Volumus tamen, ut supradictis facultatibus uti valeatis tantummodo per triennium, a data præsentium computandum.

Datum Romæ ex ædibus nostris die...

Facultates ad annum concessæ. — Sacra Pœnitentiaria, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, sic benigne annuente SS^{mo} D^{no} Papa Pio IX, ven. in Christo Patri N., Episcopo N., attentis peculiaribus circumstantiis, infrascriptas facultates ad totum currentem annum N. duraturas concedit, cum potestate illas suis vicariis generalibus communicandi, quibus sive per se, sive per alias idoneas personas ecclesiasticas ad hoc specialiter deputandas uti poterunt, sub ea tamen expressa conditione, ut in singulis actis expressa mentio fiat specialis apostolicæ delegationis.

I. Dispensandi in matrimoniis usque ad præsentem diem coram Ecclesia catholica nulliter initis, nec ultra, super quibuscumque impedimentis juris duntaxat ecclesiastici, in quibus Apostolica Sedes dispensare consuevit, exceptis semper impedimentis ex ordine sacro, ex voto solemnibus castitatis proveniente, pro quibus recurrendum erit ad Sanctam Sedem in casibus particularibus; prævia renovatione consensus coram ordinario, vel contrahentium parochia, et duobus testibus.

II. Dispensandi in matrimoniis contrahendis in tertio, et quarto simplici vel mixto consanguinitatis, seu affinitatis gradu, dummodo secundum nullum modo attingat.

III. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

IV. Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem et levatam, seu vice versâ.

V. Dispensandi super impedimento criminis ex adulterio, et ex fide data proveniente, neutro tamen in conjugis mortem cum effectu machinante.

VI. Dispensandi seu convalidandi litteras dispensationis super quovis canonico impedimento ab Apostolica Sede expeditas, quæ nullæ fuerint ob incestum reticatum in precibus, aut patratum, seu iteratum post missas preces, et ante dispensationis executionem, vel nulla fuerint ob errorem nominis, vel cognominis contrahentium, in matrimoniis tam contrahendis, quam etiam in faciem Ecclesiæ jam contractis, ut, servatis servandis, licite iniri, seu renovari possint, injuncta congrua pœnitentia salutari; et si agatur de litteris ab Apostolica Dataria obtentis in forma pauperum super impedimentis primi, seu primi et secundi, aut secundi tantum consanguinitatis, seu affinitatis graduum, præscripta etiam aliqua elemosyna iudicio ejusdem ordinarii juxta contrahentium vires taxanda.

VII. Dispensandi super irregularitate ex natalium, vel lenitatis defectu proveniente cum suis diœcesanis, qui statum Ecclesiasticum exoptantes moribus, et scientia digni petita gratia videantur, ac hoc ut, servatis de jure servandis, clericali tonsura

si nondum insigniti, insigniri et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri, necnon ecclesiasticis beneficiis provideri libere et licite valeant.

VIII. Tandem absolvendi sacerdotes, qui schismati adhæserunt, et juramento constitutionis civilis cleri gallicani se inquinaverunt, dummodo idem juramentum retractaverint, omnem a catholica unitate recessum sincere detestati fuerint, et judiciis S. Sedis super ecclesiasticis Galliarum negotiis firmiter adhærere, ac plane subjectos esse declaraverint, imposita pro modo culparum congrua salutari poenitentia; et cum iisdem, postquam illata scandala condigne reparaverint et indubia dederint respicientiæ signa, super irregularitate ex præmissis, et ex violatione censurarum contracta misericorditer dispensandi.

Romæ, ex Sacra Pœnitentiaria, die 15 novembris..

ADNOTATIO CI.

Lib. IV. Decretal. Append. § VII, n. 504; pag. 604.

EPISCOPI SUCCESSORES APOSTOLORUM QUO SENSU?

Cf. auctorem nostrum Tit. XXXI, *De Officio iudicis ordinarii*, § III, n. 76; præsentis editionis volum. II, pag. 12; et D. Peletier, *Des chapitres cathédraux en France devant l'Église et devant l'État*, Parisiis, 1864, apud Lecoffre et socios, pag. 115.

ADNOTATIO CII.

Lib. IV. Decretal. Append. § VIII, n. 416; pag. 626.

QUIS DICITUR PAUPER IN MATERIA DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM?

In responsione jussu Pii VI, directa, anno 1788, ad DD. de Fleury, archiepiscopum Turonensem, legitur: « Quia tamen illi etiam ita pauperes merito dici possunt qui aliqua possident bona, hinc non denegatur a Sancta Sede dispensatio in forma pauperum, etiamsi oratores bona in capitali possideant valoris scutorum trecentorum monetæ Romanæ (circiter mille quingentorum francorum) si ipsi citra montes degant; vel, si ultra montes, valoris ducatorum auri de camera trecentorum monetæ attingentium scutorum quingentorum viginti quinque dictæ monetæ (circiter ter mille fr.). Quod si bona habeant ad quantitatem usque scutorum vel respective ducatorum mille auri de camera, dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna, quæ vulgo componenda dicitur, scutorum quatuor pro quolibet centenariis, quæ Sanctissimus Dominus Noster memorat et vult vel eroganda esse in subsidium pauperum, vel ipsis dispensandis eleemosynæ titulo remittenda, si nihilominus eorum conditione inspecta pauperes esse videantur. Amplius vere possidenti-

bus dispensatio in forma pauperum non conceditur, sed sub alia forma. (Carrière, *Prælect. de matrim.*, t. II, p. 361. — Compans, *Traité des dispenses.*)

D. de Saint-Exupéry, vicarius generalis Petrocorrensensis, *Observations sur la fulmination des dispenses*, Parisiis, Leroux et Jouby, 1834, docet prædictam summam trium millium francorum computandam esse non ex redditibus sed in capitali; quod capitale constat sive pecunia, sive commercio et industria partium, sive dotibus a parentibus respective constitutis. Bona quæ ulterius sponsis obvenire debent jure hereditatis computanda sunt sed ad medietatem valoris æstimanda. Cum autem prædicta summa trium millium francorum taxata fuerit anno 1788, optime animadvertit D. Carrière loco citato « rationem habendam esse mutationis quæ in fictivo nummorum pretio temporum decursu supervenit; ex quo fit ut qui olim bona possidentes ultra valorem ter mille francorum pauperes non reputabantur, hodie etiam cum bonis majoris valoris tales merito censeantur. » Quam opinionem D. Caillaud, vicarius generalis Bituricensis, auctor libri cui titulus: *Manuel des dispenses*, approbat, tribunum romanorum praxim asserens illi conformem.

ADNOTATIO CIII.

Lib. IV. Decretal. Append. § IX, n. 489; pag. 658.

DE NECESSITATE CERTIORANDI ALTERUTRUM CONJUGUM IN CASU MATRIMONII NULLITER CONTRACTI OB IMPEDIMENTUM OCCULTUM, NECNON RENOVANDI CONSENSUM.

In § IX auctor noster elucidat omnes et singulas clausulas in litteris dispensationis super impedimento affinitatis occulto post contractum matrimonium datis, et tractans de clausulis undecima et duodecima scilicet: « Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium eadem, et uterque inter se de novo secrete... contrahere... valeant, » ad § finalem XIII lectorem remittit pro solvendis difficultatibus quæ in praxi emergere possunt. Porro, dicto § XIII, totus est ut inculcet necessitatem partem innocentem certiorandi de nullitate matrimonii, novi consensus ab utroque præstandi, quidquid in contrarium sentiant Sanchez, Gobatus et alii.

Circa hoc punctum sic se habet Giralduus, *Exposit. jur. pontif.* append. II ad libr. IV Decretalium: « Si conjux, impedimenti conscius, ex vehementissimis et saltem moraliter certis conjecturis ac circumstantiis suspiciat ne conjux ignarus de irrito matrimonio postea certior factus novum consensum dare recuset, solutoque matrimonii vinculo, cum præcreati jam liberi tanquam spurii habe-

rentur, aliaque inde sequerentur incommoda; hoc certe casu, ut omnis timor abjiciatur, simulque conscientiæ consulatur tranquillitati, hæc a parcho et confessario respective illi, qui dispensationem obtinuit, sunt insinuanda:

» I. Pro certo haberi debet legitimam censeri prolem, quando impedimentum non innoscit, et unus ex conjugibus rite contractum fuisse matrimonium arbitratur coram parcho celebratum.

» II. Quando revera, ex supradicta renovatione consensus, gravissima provenirent incommoda, ad majorem Pœnitentiarium iterum est recurrendum, qui sane, magnis recensitis difficultatibus adductus, vel aliquid de severitate remittet, vel necessarias facultates a Pontifice postulabit; qui, si non agitur de impedimento erroris personæ, quod ad naturæ jus refertur, sed de aliis a jure scripto statutis, non solum de medio auferre poterit incommoda ex invalido matrimonio secuta, legitimam etiam prolem, si opus fuerit, declarando, sed etiam ob naturalem consensum ab initio præstitum, dispensare poterit, si velit, a nova ejusdem consensus præstatione, et sic absque onere certiorandi partem, ut in *Instit. LXXVII Benedicti XIV.*

» Et hic monitum velim parochum aut confessarium ut, quoties dicta incommoda et scandala certitudine saltem morali obfutura dignoscet, eodem tempore quo ad Sacram Pœnitentiarium pro facultate convalidandi matrimonium recurrit, ea simul in supplici libello exponat, ne cogatur iterum ad eandem recurrere pro obtinendis secundis litteris, potissimum si periculum sit in mora.»

Cf. prædict. *Instit. LXXVII*, et Giralduum, loco cit. ubi de praxi servanda pro obtinenda facultate a S. Pœnitentiaria convalidandi matrimonium nulliter contractum, juxta instructionem Benedicti XIV exaratam in prælaudata *Instit. eccles. LXXVII.*

ADNOTATIO CIV.

Lib. IV. Decretal. Append. § X, n. 507; pag. 645.

SI PARTES NON SINT EJUSDEM DIOECESIS, SUFFICIENTE DISPENSATIO ALTERUTRIUS EPISCOPI INDULTUM HABENTIS?

ATREBATEN. — Beatissime Pater; Petrus Ludovicus Parisiis, episcopus Atrebatensis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, quarit utrum, quando orator et oratrix matrimonio conjungi cupientes non sunt ambo sui diocesanii, sed alter ex sua diocesi, alter ex alia diocesi, in utroque dispensari possit vi indulti concessi ad dispensandum in matrimoniis contrahendis?

Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, venerabili in Christo Patri episcopo oratori respondendum censuit quod quilibet ordinarius, agendo non facultate ordinaria sed a Sancta Sede absolute, simpliciter et absque ulla conditione delegata,

possit dispensare super impedimento aliquo, etiam in casu in quo una persona ab impedimento ligata sit suæ dioceseos, altera vero alienæ; quia sublato impedimento ex una parte cum qua dispensare valet, etiam altera pars libera evadit, cum ligamen non amplius inter utrumque existat. Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, die 19 januarii 1852. A. QUAGLIA, S. P. regens; L. Ballorati, S. P. secretarius.

ADNOTATIO CV.

Lib. IV. Decretal. Append. § X, n. 531; pag. 648.

DE IMPEDIMENTO MIXTÆ RELIGIONIS ET SPECIATIM QUOAD ITALOS.

Anno 1865, litteræ sequentes ad episcopos de mandato Summi Pontificis fuerunt directæ: « Illustrissime ac Reverendissime domine uti frater. — Sanctissimo D. N. Pio PP. IX maxime cordi est ne ullibi ab Italis italicum domicilium retinentibus mixta connubia ineanant. Idcirco in audientia die undecima augusti, in arce Castri-Gandulfi, R. P. D. Adessori Sancti-Officii imperfita, mentem suam declaravit circa usum facultatum dispensandi super impedimento mixtæ religionis, quæ nuntiis vel delegatis apostolicis, archiepiscopis atque episcopis extra Italiam fiunt; Italos nempe, de quibus non constat italicum domicilium omnino deseruisse, intendit exceptos ne iis ea dispensatio concedatur. Et mandavit hanc suam mentem iis omnibus significandam quibus, ob peculiarem rerum et locorum necessitatem, adjuncta sit facultas dispensandi super memorato impedimento mixtæ religionis. Suprema Sancti-Officii congregatio, huic mandato morem gerens, hanc encyclicam epistolam ad Amplitudinem tuam mittendam censuit, cui ego interim fausta et felicia omnia precor a Domino. Romæ, die 14 augusti 1865. Amplitudini tuæ addictissimus uti frater: C. card. PATRIZI. »

Hinc facultates hodie concessæ semper continent exceptionem quoad Italos; sit in exemplum indultum sequens: « Feria IV, die 9 januar. 1867. Sanctissimus D. N. Pius divina providentia PP. IX, in solita audientia R. P. D. Adessori Sancti-Officii imperfita, audita relatione supradicti libelli, una cum EE. ac RR. DD. cardinalium inquisitorum generalium suffragiis, benigne indulsit ut R. P. D. ordinarius Atrebatensis, intra fines suæ diocesis dispensare valeat, sive per se sive per suos vicarios generales, justis gravibusque accidentibus causis, super impedimento mixtæ religionis (exceptis Italis de quibus non constat italicum domicilium omnino deseruisse), dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis, et præsertim de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo, de conversione conjugis acatholici ab illo pro viribus curanda, de universa prole utriusque sexus tam forsitan nata quam nas-

citura in catholicæ religionis sanctitate omnino educanda, et dummodo, neque ante neque post matrimonium coram paroco catholico initum, ministrum adeant acatholicum. In casibus vero in quibus præcesserit carnale commercium, sponsi, si fieri poterit sine gravi damno, ante matrimonium aliquo tempore separentur, arbitrio ordinarii, ut pars catholica rite disponatur ad gratiam Dei recipiendam, prævia semper absolutione a censuris, et impositis pœnitentiis salutaribus, si matrimonium contractum fuerit coram ministro acatholico. Hanc autem facultatem decrevit Sanctitas Sua valituram pro triginta tantum casibus urgentioribus in quibus nec aliud obstat canonicum impedimentum, nec tempus adsit adeundi Sanctam Sedem, ipsius episcopi iudicio, super quo ejus conscientia graviter oneratur. Insuper mandavit eadem Sanctitas Sua in singulis dispensationibus expressam apostolicæ delegationis mentionem esse faciendam. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In reliquis stet instructioni alias datæ. Angelus ARGENTI, S. Rom. et Univers. Inquisitionis notarius.

Cf. litteras a Pio VII datas 17 februarii 1809 et ad episcopos Galliarum transmissas de matrimoniis catholicorum cum acatholicis. Cf. etiam D. Carrière, *Prælect. de matrim.* T. II, p. 79 et seqq. ubi reperiuntur citationes desumptæ ex Benedicto XIV epist. ad episcop. Poloniæ, et *De syn. diac.* lib. IX, cap. III; ex brevi Pii VI ad archiepiscopum Mechliniensem, die 13 julii 1782; ex instructionibus datis anno 1793 ab eodem Pio VI pro ducatu Cliensi; ex litteris Pii VIII, *Litteris altero*, 25 mart. 1830, pro regno Prussiæ; ex brevi *Summo jugiter* Gregorii XVI, die 27 maii 1832 dato pro regno Baviariæ; ex Instructione, die 12 sept. 1834, jussa ejusdem Gregorii, ad episcopos ejusdem Baviariæ directa.

Præcipua hujusmodi documenta leguntur in opere valde commendabili, a D. Henrico Denzinger conscripto, cui titulus: *Enchiridion symbolorum et definitionum quæ de rebus fidei et morum a conciliis œcumenicis et Summis Pontificibus emanarunt*, in 8, Wirceburgi, sumptibus Stahelianis, 1854.

ADNOTATIO CVI.

Lib. IV. Decretal. Append. § XIII, n. 613: pag. 665.

DE DISPENSATIONIBUS IN RADICE.

In cancellaria episcopali Atrebatensi documentum sequens invenire nobis datum est: « Illustriss. ac Reverendissime Domine uti frater. — In postulato a te proposito in relatione status istius Ecclesiæ ad S. Congregationem concilii, die prima decembris anni 1864 transmissa, facultatem petebas qua posses in radice sanare pro certo casuum numero matrimonia ob aliquod detectum dirimens impedimentum irrita. Hoc postulatum de more delatum est ad examen hujus supremæ Sancti-

Officii Congregationis, et hæc summopere desiderii tuis satisfacere cuperet. At, cum de re maximi momenti agatur, de dispensatione nempe quæ gravissimis urgentibus causis et inspectis peculiaribus cujusque casus adjunctis conceditur, EE. PP. cardinales una mecum supremi inquisitores ad te rescribendum censuerunt ut velis recurrere in casibus particularibus. Hæc sunt quæ a me communicanda erant tibi cui interim fausta cuncta ac felicia precor a Domino; Amplitudini tuæ addictissimus uti frater, C. card. PATRIZI. Romæ die 30 jun. 1865. »

Cf. Adnotationem CIII, supra. D. Carrière, *Prælect. de matrim.* T. II, pag. 545 et seqq. Scavini, *Theolog. mor. universa*, editione quarta Parisiensi, 1863, apud Lecoffre, tom. IV; et in specie adnotationes ad tract. XII, adnot. Z, ubi legitur *Constructio*, data 25 april. 1803 a cardinali legato Caprara, circa redintegrationem matrimoniorum nullorum.

ADNOTATIONI VI,

Supra pag. 677,

ADDENDUM DOCUMENTUM SEQUENS.

Beatissime Pater. — Episcopus Atrebatensis in Gallis, ad S. V. pedes humiliter provolutus, exponit quod frater F. e parochia R. in diœcesi Atrebatensi oriundus, nunc in collegio Ambianensi PP. Franciscanorum professus, de bonis sibi per hæreditatem obventuris, juxta mentem regulæ S. Francisci, in favorem pauperum per testamentum disposuerit; hæc autem testamentaria dispositio illius parentes gravius offendit, siquidem, licet non pauperes, e labore manuum victitant et consequenter parti hæreditariæ quæ supradict. F. spectat augendæ quotidie insudant. Inde tum ex eorum parte, tum etiam ex parte hujusce parochiæ incolarum, ad quorum notitiam res ista devenit, murmuraciones, querimoniarum, dicteria, quibus impetitur ipsa religio, et valde timendum ne exinde vocationes ad professionem religiosam difficiliore reddantur. Quopropter suprad. episcopus, huic scandalo occurrere intendens, a V. S. humiliter requirit ut dignetur pro sua benignitate supramemoratum F. dispensare quatenus parti hæreditariæ sibi obventuræ in favorem parentum renuntiare possit et valeat. Quod etc.

» Ex audientia Sanctissimi habita ad infrascripto secretario S. C. episcop. et regul. sub die 23 aprilis 1858. Sanctitas Sua benigne tribuit episcopo oratori necessarias et opportunas facultates ut petitam habilitationem denunciato religioso ad effectum de quo agitur concedere possit et valeat, ita tamen et in actu per ipsum religiosum emittendo, meliori modo quo fieri poterit, mentio fiat apostolici indulti; contrariis quibuscumque non obstantibus. — Card. della Genga-Sermattei, S. C. præf. A. archiepisc. Philipp. secretarius.

ELENCHUS

TITULORUM, PARAGRAPHORUM ET QUÆSTIONUM

IN HOC QUINTO VOLUME JURIS CANONICI UNIVERSI CONTENTORUM.

LIBRI III DECRETALIIUM

TITULUS XXXI.

DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

§ I.

De natura et origine religionum ac religiosorum, seu regularium.

- Quæstio 1. Quid sit religio, et quid religiosus? 1
 2. An, et quo jure tria vota paupertatis nempe, obedientiæ, et castitatis perpetuæ sint de essentia religionis? 3
 3. Utrum ad substantiam religionis requirantur ut tria vota sint solemnia? An sufficiant simplicia? 4
 4. Quo tempore et a quo institutus fuerit status religiosus? Ibid.

§ II.

De diversitate, ac numero religionum: necnon de perfectione et utilitate earum tam absoluta, quam respectiva.

- Quæstio 1. An, et qualis sit diversitas religionum? et quomodo dividantur? 6
 2. Quot numero sint religiones in specie? Quando item et a quo quævis instituta, ac approbata? 8
 3. Utrum expediens et utile fuerit, ac etiamnum Ecclesiæ Dei, quod institutæ in ea fuerint, et adhuc sint religiones, præsertim tot et tam diversæ? 14
 4. Quænam religio inter tot et tantas sit perfectior? 15

5. Cum multæ hodie dentur religiones mixtæ, quænam illarum in specie sit perfectior? 17
 6. Utrum usque ad finem mundi duraturus sit status religiosus? Ibid.

§ III.

De recipiendis ad religionem: item de novitiis, eorumque magistro, et anno novitiatus.

- Quæstio 1. An quilibet religionem ingredi et in eam recipi possit? 18
 2. An circa qualitates, de jure communi et constitutionibus pontificiis requisitas, necessario debeat fieri indagatio, seu informatio, antequam suscipiatur quis ad religionem? 21
 3. Quando, et a quo fieri debeat indagatio de qualitatibus recipiendorum? 22
 4. An, et qualis esse debeat novitiorum magister? Ibid.
 5. Qualiter eos educare, et in quibus præcipue illos instruere debeat? Ibid.
 6. Quanto tempore debeat receptus in novitiatu manere in ordine ad hoc ut professionem emittere valeat? 23
 7. Utrum annus novitiatus seu probationis debeat necessario esse completus de momento in momentum? 24
 8. Utrum annus novitiatus seu probationis necessario debeat esse continuus, ac sine interruptione? 26

§ IV.

De libertate, juribus, privilegiis, et obligationibus novitiorum.

- Quæstio 1. Utrum novitii intra annum probationis pro libitu religionem deserere, et ad sæcu-